e-codices

Vituperatio Pulicis.

XXXI.

Quis quæso, AA. humaniss. vobis animus? quis sensus? quæ cogitatio? (erat) cum pulicis encomia, quem communis omnium mortalium fama non immeritò damnare solet, ex his suggestibus audistis rhetoricis coloribus à me delineari, quæ inquam cogitatio vobis erat? quod n. ad me pertinet, exploratum omnino habeo, quis mihi tum animus extiterit: Rhetorem enim agere volui, cuius officium esse, ea quæ nec umbrâ laudis habere videntur, attamen facundiæ verborumque floribus aptissimè inumbrare posse qui ignoret, existimo esse neminem. At verò hodiernâ luce non tam Rhetorem, quàm veritatis defensorem agere decrevi, pulicem enim quem nuper falsò verborum fuco depinxi, nunc veris propriisque coloribus rursus denigrare conabor. Interim tamen AA. spectatissimi id unum à vobis exigo, ut animi æquitatem ac benevolentiam, quam in audienda pulicis laudatione exhibuistis, eandem et in illius vituperatione præstare ne gravemini.

13 Visus hic cometa est anno 1661 circa finem Januarii et initium Februarii, eius cauda versus orientem extensa fuit. mane horâ tertiâ apparere cœpit, duravit usque ad quartam et 5tam visus est a. in hemisphærio et Helvetia aliisque Germaniæ locis, circa finem studii nostri rhetorici.

Lizenz: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 276r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/de/zbz/D0147/276r)